

13183

D. HELVICI GARTHII  
 ORATIO  
 VALEDICTORIA,  
 DE  
 ADMIRABILI  
 PROVIDENTIA DEI,  
 IN PROMOVENDA VOCA-  
 TIONE DOCTORUM ET  
 MINISTRORUM EC-  
 CLESIAE;

Recitata 3. Augusti, Anni 1613,

*In Synodo Diœcesews Freibergensis :*

CUM AB INSPECTIONE  
 EJSDEM, AD EPHORIAM ECCLE-  
 SIAE EVANGELICAE BOEMO-GERMANORUM  
*in veteri Urbe Regia PRAGA, singulari DEINU-  
 tu, ac Serenissimi Ducis atq, Electoris Saxonie consensu  
 & jussu, abiturus esset.*

Adjecta est Responsio M. GEORGII AGRICOLAE,  
 Ecclesiae Nicolaitanae Freibergae ministri, nomine totius  
 Collegij & Fraternitatis data.

*Freibergae, Georgius Hoffman imprimebat, 1614.*

gr. er. D

574, 51<sup>t</sup>




Viris Reverendis, eruditione & pietate præstantissimis,

*Ecclesiarum in Diœcesi Freibergensi Pastoribus & Ministris, Scholæq; ibidem Collaboratoribus fidelissimis, Dominis, amicis, & fratribus suis in Christo honorandis, & plurimum dilectis,*


Salutem à Salutis authore & consummatore  
JESU CHRISTO P.

*Helvicus Garthius D.*

**E**N habetis, Viri Reverendi, Ornatissimi & Doctissimi, Domini, amici, collegæ, & fratres in Christo honorandi & dilecti, quam non pauci vestrum desiderârunt, orationem seu declamatiunculam potiùs, nuperrimè in frequenti fratrum Synodo abs me, Pragæ discessuro, Valedictionis loco habitam. Quanquam enim propter simplex & incultum sermonis filum, quo in summa festinatione aliquot saltem horarum spatio contexta fuit, vix lectione digna censi queat: Vestræ tamen petitioni & voluntati gratificari volui, ut *μνημόσωον* habeatis meæ tum inexpectatæ Vocationis, quâ à vobis avulsus sum, tum fraternæ benevolentia, qua vos omnes etiamnum absens prosequor. Adjeci autem responsionem à Reverendo & Doctissimo viro, Dn. M. Georgio Agricola, vestro nomine datam, & paulò ante discessum mihi eam roganti communicatam, ut publicum quoq; extet monumentum vestræ erga me, meosq; benevolentia: quam ad extremum præter omnem meam expectationem insigni etiam munere, eoq; admodum splendido (de quo omnibus & singulis maximas ago habeoq; gratias) testatam fecistis. Valete in Christo Jesu cum Ecclesijs & domesticis vestris felicissimè, & de favore & amore pristino erga me ne tantillum remittite. Ego vester, uti fui, ita mansurus sum in perpetuum. Dab. PRAGÆ, 14. novi, 4. veteris styli, Novembr, Anno DOMINI 1650 PRO NOBIS; QVIS CONTRA NOS?



Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885




2.

O R A T I O  
V A L E D I C T O R I A,

*De Admirabili illa providentia divina, in promo-  
venda Vocatione Doctorum & Ministro-  
rum Ecclesiae,*

Recitata in Synodo Freibergensi, 3. Augusti,  
Anno M. D. C. XIII.

 *Um Paulus, magnus ille JESU CHRISTI  
Apostolus, & universalis gentium Doctor, ab  
Ecclesiis Asiaticis, quarum supremus fuerat Visi-  
tator atq; Inspector, discessurus, & Hierosoly-  
mam abiturus esset, substitit in itinere Mileti, convocatisq;  
ad sese Ecclesiae Ephesinae presbyteris, extremum valedixit,  
teste Luca. Actor. 20.*

Exordium à  
D. Pauli.  
valedictione

*Idem nunc ego praesto, viri Reverendi, eruditione, pietate  
& virtute Ornatissimi, amici, collega, & fratres in Christo ho-  
norandi & dilecti. Postquam enim abhinc quadriennio, sin-  
gulari nutu Dei, & Superiorum nostrorum, Ecclesiae Freiber-  
gensis Pastor, finitimarumq; in hac Dioecesi Superintendens,  
constitutus fui: praeter omnem meam expectationem acci-  
dit, ut, syncerioris Evangelicae religionis propagandae causâ,  
Pragam, inclyti regni Bohemici Metropolin, Legitimâ voca-  
tione acceptâ, & à Serenissimo Duce & Electore Saxoniae,  
Domino nostro clementissimo, confirmatâ, propediem mihi  
abeundum sit. Aequum igitur esse duxi, ut ante meum disces-  
sum Reverendas vestras dignitates convocarem, iisdemq; in  
publica Synodo, novae hujus atq; inexpectatae vocationis statu  
exposito, valedicerem.*

Applicatio.

A 2

Gratias

Gratias verò primum ago aeterno Deo & patri Domini nostri JESU CHRISTI, quòd Ecclesia sua, prater omne nostrum meritum, ea hactenus largitus est balcyonia, ut ad presentem hunc fraternum conventum animum adjicere nobis licuerit. Dein vestris quoq; Reverendis dignitatibus, quòd, sepositis omnibus, sub initium messis recentis, negocijs, Synodo huic nostra frequentes interesse, meq; Epborum suum indignum, abitum parantem, extremis votis ac suspirijs persequi voluerint.

Partitio.

1.

2.

3.

Et ut venerando huic confessui, in quo viros conspicor, rerum sacrarum, cultiorisq; literature, peritissimos, meum aliquo modo comprobem studium, occasioneq; de vocationis meae ratione perorandi data, singularem Dei providentiam intento quasi digito monstrem: In genere primum, de admirabili illa providentia Dei, quae in vocatione Doctorum & Ministrorum Ecclesia saepe numero sese conspiciendam praebet, paucis dicam: Deinde sigillatim & in specie de mea vocatione, qua Pragae, ad docendum Evangelium, accitus sum, disseram: Postremò, Reverendas vestras dignitates Deo, & Verbo gratiae ipsius, commendaturus, brevissimam valedictionem, cum fraterna exhortatione conjunctam, subjiciam. Itaq; ut auribus & animis attenti adesse, meq; simplici filo orationis meae telam pertexentem, solita benevolentia complecti velit, amice rogo.

Votum.

I.

Pf. 4. v. 4.

Pf. 66. v. 3. 5.

Dominus noster JESUS CHRISTUS, cum linguam meam balbutientem, tum mentes vestras, ad attentionem sese parantes, Spiritu suo sancto regat, ut Ecclesiae, nobisq; omnibus, salutaria & utilia proferamus, dicamus, percipiamus, Amen.

Principio pervulgatum est illud Psalmi: Mirificat Dominus Sanctos suos: Et aliud huic non absimile: Mirabilis est Dominus in operibus suis, inter Filios hominum. Quod, uti de omni-

de omnibus omninò operibus providentia divina, cum primis  
verò de gratiosa ipsius presentia in Ecclesia, intelligendum  
est: Ita quoq; in procuranda & promovenda vocatione Do-  
ctorum & ministrorum Ecclesie, locum obtinet.

Deus enim est supremus ille totius Ecclesie Dominus, qui  
de pastoribus & Doctoribus eidem prospicit. Quam ob causam  
sapissimè in Vet. Test. per Prophetas, in Novo vero per Fili-  
um pollicetur, sedaturum pastores, juxta cor suum, qui popu-  
lum suum pascant in scientia & doctrina, Jerem. 3. Se consti-  
tutum vigiles super muros Hierosolymorù, Esa. 62. Se missurù  
Prophetas & Apostolos, sapientes & scribas, Lu. 11. Matth. 23.

Quin imò eos, quos sacro ministerio destinare, & Ecclesie  
sua proficere cogitat, ab utero materno ad munus illud segre-  
gat, quemadmodum Jeremie dicit: Priusquam te formarem  
in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi  
te, & prophetam dedi gentibus. Unde Christus, unicus ille  
Magister, & Doctor calitus nobis commendatus, Esa. 49. cap.  
de suo officio ita loquitur: Dominus ab utero vocavit me, de  
ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et D. Paulus  
Galat. 1. inquit: Deum segregasse se ab utero matris suae, &  
vocasse per gratiam suam, ut revelaret Filium, eumq; evan-  
gelizaret in gentibus.

Porrò, quos ita ab eterno ministerio destinat, & ab utero  
segregat, eos postmodum in hanc lucem natos peculiaribus  
donis, ad predicationem Evangelij, & adificationem Ecclesie  
necessarijs, instruit, instructos vocat, vocatos regit & tue-  
tur. Neq; mittit & vocat tantum, sed ut argumentum hodi-  
erna concionis Synodalis habuit, quasi **EXPELLIT** in messem  
suam. Sic enim Filius Dei: Rogate Dominum messis, ut ope-  
rarios **EXTRUDAT** in messem suam. Vbi verbo utitur

A 3

empba-

3.

Deus mirabili-  
ter Doctores  
Ecclesie vocat.

Joel. 2. v. 23.

Eph. 4. v. 11. 12.

Promissiones  
de missione Pa-  
storum & Do-  
ctorum Ecclesie.

Jerem. 3. v. 15.

Esa. 62. v. 6.

Luc. 11. v. 49.

Matth. 23. v. 34.

Segregatio il-  
lorum ad mi-  
nisterium ab  
utero.

Jerem. 1. v. 5.

Esa. 49. v. 1.

Gal. 1. v. 15. 16.

Vocatio & gu-  
bernatio,

Quomodo De-  
us illos mittat  
& vocet.

Matth. 9. v. 38.

Quomodo expellat in messem Evangelij  
Marc. 1. v. 1. 2.

Jerem. 20. v. 7.

Declaratio per  
Exempla.

Vocatio  
duplex.  
1. Immediata.

emphatico ἐκβάλλει, quod non simpliciter missionem, sed ejectionem atq; expulsionem denotat, quâ supremus ille Dominus messis servos suos, præter omnem ipsorum expectationem, aliud agentes, & quandoq; nolentes volentes, in copiosam Evangelij messem extrudit atq; expellit. Non quidem coactione & manu violentâ, sed peculiari Spiritus sancti impetu atq; instinctu, sicut de Christo Marci 1. legitur, quod Spiritus ipsum expulerit in desertum; τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. Fit enim sæpè numero, ut ij, qui ad functionem ministerij Ecclesiastici vocantur, cum sanguine & carne consultant, suoq; se pede & modulo metientes, defectus suos agnoscant, infantiam & juventutem prætendant, labores & afflictiones, quæ in munere isto, tam sacro atq; arduo, sustinende sunt, perpendant, rebusq; omnibus probè consideratis, non parum cespitent & restitent. Verùm fortior est Dominus, cui opera ipsorum in promovendo cursu Evangelij uti placuit. Itaq; cogitent illi, fluctuent, metuant, quicquid velint: Ipse arcana sua vi, & Spiritus sancti impetu, prævalet, sicut Jeremias cap. 20. loquitur, ut, posthabitis omnibus rationibus, omnibus laboribus, omnibus periculis, vocanti obtemperent. Sunt alij, qui nihil tale cogitantes vocantur, & tamen vocati vocantem protinus sequuntur. Non pauci, arcana quasi instinctu Spiritus sancti, ad studium Theologie animum applicant, cum per annos aliquot, vel in Jure, vel in Medicina, versati fuerint.

Placet hoc exemplis, quæ magnam habent in illustranda veritate vim, testatum reddere.

Duplex autem est vocatio ad ministerium Ecclesiasticum: Immediata, & Mediata. Immediata est, qua Deus Prophetas & Apostolos, vel sine ulla persona intermedia, vel per inter-

nuncium



nuncium, propria voce, aut peculiari Spiritus sancti instin-  
 ctu, vocavit. Considera jam, quàm mirabiliter Dominus illos  
 emisit & expulerit, ad docendum & predicandum verbum  
 Legis & Evangelij. Moses vocatur è rubo ardenti, cum pasto-  
 rem ageret ovium soceri sui, ut esset dux & Legislatoꝝ populi  
 Israëlitici, Exod. 3. Samueli dormienti apparet Dominus in  
 templo, eumq; propbetam constituit, 1. Sam. 3. Eliseus ab ara-  
 tro vocatur, cum duodecim jugis boum agricultura operam  
 daret. Quamprimum enim Elias, pallio suo superimposito, de  
 voluntate Domini ipsum certiore reddiderat, confestim re-  
 lictis bobus, secutus est illum, 1. Reg. 19. Jeremias vocatur  
 adhuc juvenis, cumq; se excusaret, dicens; Nescio loqui, quia  
 puer sum; responsum accipit, Noli dicere, puer sum, quia ibis,  
 quò te misero, & loqueris, quacuna tibi manda vero. Jere. 1.  
 Quam ob causam ipse postea conqueritur, se reluctansem, &  
 nolentem volentem, suscepisse munus propheticum: Seduxi-  
 sti me Domine, & seductus sum, inquit, Fortior me fuisti, &  
 prevaluisti, Jere. 20. Amos, inter pastores Thecuanos enu-  
 tritus, in collegium prophetarum cooptatur: qua de re ipse  
 cap. 7. libri sui testatur, ad Amaziam dicens: Non sum Pro-  
 pheta, neq; filius propheta, sed armentarius ego sum, vellicans  
 Sycomoros: & tulit me Dominus, cum sequerer gregem, &  
 dixit ad me: Vade, propheta ad populum meum Israël. Quid  
 de Jona dicam? quem singulare exemplum providentia di-  
 vine, circa vocationem propheticam, nobis suppeditare, extra  
 omnem controversia aleam positum est. Fugiebat ille à facie  
 Domini, declinaturus munus propheticum, quod apud Nini-  
 vitas, homines pessimos, ipsi obeundum erat. Sed cum in me-  
 dium jam venisset mare, tempestate exorta, agnoscit, se deli-  
 quisse adversus Dominum, coniectusq; in aquas à ceto deglu-  
 titur,

4.

Exempla.

Mosis.

Exod. 3. v. 4.  
 Samuelis.  
 1. Sa. 3. v. 3. 4.  
 Elisxi.

1. Reg. 19. v.  
 16. 19. 20.  
 Jeremiz.

Iere. 1. v. 6. 7.

Ierem. 20. v. 7.  
 Amos.  
 Amos 1. v. 1. 7.  
 14. 15.

Jona.

Jona 1. v. 2. 3.  
 12. 15.

2. v. 1. 11.

3. v. 1. 2. 3.

Apostolorum.

Act. 4. v. 13.

Petri, Andreæ,  
Jacobi, Johan-  
nis.

Matth. 4. v. 18.

19. 20. 21. 22.

LUC 5. v. 10.

Matthæi.

Matth. 9. v. 9.

Matthæi.

Act. 1. v. 24. 26.

Prov. 16. v. 33.

Pauli,

Act. 9. v. 4. 5.

6. 26. v. 14. 15.

titur, & tertia demum die ab eodem redditus, sine ulla mora vocationi divina obtemperat. Jona 1. 2. 3.

Et quis non miretur, Apostolos & discipulos Domini, homines plebeios & illiteratos, à Christo vocatos esse ad munus Apostolicum? Petrus & Andreas, Jacobus & Johannes, artem piscatoriam exercentes ad mare Galilææ, nihil tale cogitantes, ad spiritualem hominum capturam vocantur, relictisq; omnibus, Magistrum suum protinus sequuntur. Matth. 4. Luc. 5. Matthæus publicanus, sedens ad telonium, audit à Christo: Sequere me: Et surgens confestim obtemperat. Matth. 9. Usq; adeò divina sua virtute animos discipulorum istorum flectere potuit Dominus, ut nihil cunctantes, nihil de eventu solliciti, nihil de impletione factæ promissionis diffidentes, nihil de rebus suis prius disponentes, totos sese vocationis providentiæ & potestati commiserint, vocationemq; semel oblatam ambabus, quod dicitur, manibus amplexi fuerint. Matthiam Apostolum sorte electum esse, Lucas Actorum primo capite refert. Sors autem, missa in sinum, temperatur à Domino, inquit sapientissimus rex, Proverb. 16. cap. Et quis nescit, vocationem D. Pauli Apostoli planè fuisse miraculosam? An non in via Damascena ab ipso filio Dei mirabiliter conversus, è truculento hoste & persecutore Ecclesiæ factus est magnus Doctor gentium & Apostolus? è lupo servissimo ovis mitissima? Saul, Saul, inquit Dominus, quid me persequeris? durum erit tibi contra stimulum calcitrare! Ipse verò tremens ac stupens respondet: Domine, quid vis me facere? Act. 9. 26. Sed quid multis? siquidem de vocatione Prophetarum & Apostolorum immediata nemo dubitat, eam singulari providentiæ & consilio Dei vocatis oblatam fuisse.

Itaq;

Itaq; de Vocatione mediata potissimum agendum videtur, qua per Apostolos & Ecclesias, ab ipsis recens plantatas, Pastores & Doctores ad ministerium verbi olim vocati fuere, & etiamnum hodie per eos, qui totius Ecclesie vices gerunt, vocantur. Illa enim, cum per media instituatur, non usq; adeo clarè & dilucidè providentiam Dei nobis conspicuam & manifestam reddit.

Sumendum autem est fundamenti loco dictum istud Apostolicum, Act. 20. cap. quo D. Paulus de Ecclesie Ephesine Presbyteris dicit: Ipsos à Spiritu sancto constitutos esse Episcopos super gregem Domini. Illud enim, tum de mandato divino, tum de peculiari instinctu Spiritus sancti, accipiendum est, quo ductus Apostolus, cum universa Ecclesia Ephesina, ipsos ad ministerium Ecclesiasticum vocavit, quoq; ipsi interius in corde & conscientia sua moti & convicti, vocationem, legitimam & verè divinam amplexi sunt. Quo pacto etiamnum hoc nostro seculo Filius DEI, sedens ad dexteram patris, Ecclesie suae dat Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, & adificationem corporis Christi. Ephes. 4. Et adhuc hodie Spiritus sanctus Episcopos constituit super gregem Domini, ad regendam & pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio suo sanguine mercatus est. Act. 20. Ecclesia enim vices gerit Domini & Rectoris sui. Quando igitur ipsa de idoneis ministris & pastoribus cogitat, Spiritus sanctus eam regit & gubernat, ut diligenti facta exploratione, vel hujus vel illius animum tentet: & quem sibi omnium maxime intelligit profuturum, eum vocat & ordinat. Qui verò ab Ecclesia magno desiderio expetitur, per ordinaria & legitima media, singulari Dei nutu, & Spiritus sancti, ad cor loquentis, impulsu, eò adigitur, ut vocationem istius-

B

modi

5.  
Vocatio  
mediata.

Eam divinitus  
regi probatur.

Dictis.  
Act. 20. v. 28.

Eph. 4. v. 11, 12.

modi respuere piaculum ducat, aut si primis initijs eam recusare videatur, tandem tamen, propter gloriam Dei, & Ecclesie salutem, acceptare cogatur. Quod dico, exemplis planum fiet.

Exemplis.

Silæ.

Act. 15. v. 37.  
38. 39. 40.

Timothei.

Act. 16. v. 2. 3.

1. Tim. 1. v. 3.

Titus & aliorum.

Polycarpi.  
Iren. e. l. 3. ad-  
ver. heres. c. 3.  
Hieron. in ca-  
tal. de viris il-  
lustris.

Pantæni.

Silas, Act. 15. cap. à Paulo, comes itineris, & in prædicando Evangelio  $\sigma\omega\sigma\epsilon\gamma\omega\upsilon$ , elegitur, dissidio exorto inter ipsum & Barnabam, eò quod Barnabas assumere vellet Johannem, cognomento Marcum, qui in Pamphilia ab ipsis discesserat; Istum enim fidum sibi Achatem fore, Spiritu intelligebat, cum è contra hic inconstantiam suam jampridem ipso facto testatam fecisset. Ita ab eodem recipitur Timotheus, ob præclarum illud testimonium, quo pietatem & eruditionem ipsius Lystrani & Iconij fratres commendabant, Act. 16. Inde enim spem concepit non exiguam, fore, ut Ecclesie Dei præclaram aliquando navaret operam. Quin imò non solum perpetuum ferè peregrinationis sue comitem habuit, sed etiam Ecclesie Ephesine, totius Asia metropoli, præfecit. Simili modo ad ministerium Ecclesie ab Apostolo vocati sunt, Titus, Epaphras, Epaphroditus, Apollo, & ceteri, quorum, tanquam  $\sigma\omega\sigma\epsilon\gamma\omega\upsilon$ , passim in suis Epistolis meminit Apostolus.

Polycarpum à Johanne Evangelista & Apostolo, Smyrnensis Ecclesie Episcopum, non sine præclaro omine, constitutum fuisse, Irenæus & Hieronymus commemorant. Pantænus, Scholæ Alexandrinæ Rector, à Demetrio, tum temporis Ecclesie Alexandrinæ Episcopo, ad prædicandum Evangelium in Indiam mittitur, petentibus virum præclare doctum regionis istius incolis. Neq; tergiversatus ille fuit, non laboribus, non periculis absterritus, sed vocationi verè divina

vina

vina ex templo paruit, iterq; satis longum & asperum ingressus, post Apostolos Indorum Evangelista factus est, teste eodem Hieronymo in catalogo de viris illustribus. Neq; dubium est, B. Irenaeum ex Asia singulari DEI providentia in Galliam venisse, & ad Lugdunensis Ecclesiae Episcopatum evectum fuisse.

De Gregorio Nazianzeno refert historia Ecclesiastica, eum propter Maximum quendam, illegitimis mediis creatum Episcopum, Constantinopoli abiturum, impetum suum cohibuisse, ibidemq; per annos plurimos porro magna cum laude docuisse, cum in egressu populus illum sequeretur, & exclamaret: Aude pater, & tecum Trinitatem ejice. Et quanquam aliquandiu intra angusti templi limites continere sese necesse habuit, tandem tamen Imperator Theodosius ipsi templum praecipuum, Arianis ereptum, concessit, addita hac insigni voce: PATER, TIBI ET SUDORIBUS TUIS DEUS PER NOS ECCLESIAM TRIBUIT.

Athanasius ab Alexandro, morti jam vicino, Ecclesiae Alexandrinae nominatus fuit Episcopus. Ille, fugam arrepta, se in obscuro latere posse arbitrabatur. Sed Alexander de vocatione ejus per spiritum certior factus exclamabat: Arbitraris Athanasi, quod effugeris? Verum non effugies. Idq; ita evenit, invito illo, & fere coacto, Episcopatum suscipiente, non absq; singulari consilio Dei, ut Sozomenus libro 2. cap. 16. scribit, Quia & ad dicendum, & ad intelligendum, & ad resistendum malevolorum insidijs, praeclearis donis instructus, ac talis omnino visus fuit, qualem infelicissima illa, ab Arianis potissimum exulcerata, tempora requirebant.

B 2

Nectarius

6.

Hieron. in vita  
Pantani.

Irenaei.

Nazianzeni.

Sozom. lib. 7.

cap. 5.

Niceph. lib. 12.

cap. 8.

Athanasij.

Sozom. lib. 2.

cap. 16.

Nectarij.

Sozom. lib. 7.

cap. 8.

Theod. lib. 5.

cap. 8. 9.

Nectarius prater omnem spem atq; expectationem, communi Synodi sententia, Episcopus Constantinopolitanus ordinatur, presente & approbante Imperatore Theodosio. Diodorus enim, Ecclesie Tarsensis Episcopus, cum totus in ea cogitatione esset, quisnam idoneus Ecclesie Constantinopolitana Episcopus praefici posset, Nectarium, honoris causa sese compellantem, intuetur, Venerandam caniciem, gravitatem in vultu, morumq; integritatem in eo admiratur, ac divino, procul omni dubio, motu ea mox cogitatione afficitur: Quid, si Nectarius fiat Episcopus? Nec mora; apprehensum ad Episcopum Antiochenum, Meletium, duxit, commendatoq; impetravit, ut in catalogo illorum, qui ordinatione tali digni censerentur, nomen ejus ultimo loco adjectum fuerit. Quo perlecto, Imperator, non absq; singulari providentia divina, in Nectario cogitabundus substitit, eumq; pra omnibus alijs, magna cum omnium admiratione, Episcopum delegit.

Chryso-  
stomi.

Sozom. lib. 8.

cap. 2.

Eo defuncto, Johannes Chrysostronus (quam Libanius Sopbiſta moriturus sacrilegio à Christianis surreptum querebatur) ob praclaram eruditionis & virtutis famam, Antiochia, ubi presbyteri fungebatur officio, consensu & suffragio totius populi, ab Imperatore Constantinopolin vocatur, ejusdemq; jussu, per Asterium, Orientis praefectum, deducitur, cum se Episcopum isthic futurum, ne per somnium quidem cogitasset.

Ambrosij.

Theodor. lib. 4.

cap. 6.

Sozom. lib. 6.

cap. 24.

Notum insuper est, quomodo Ambrosius ad Episcopatum Ecclesie Mediolanensis evectus fuerit. Erat ille praeses Mediolani, homo politicus. Et cum seditioem in populo, ob electionem Episcopi exortam, milite stipatus compefcere vellet, ad templum accurrit, & dissidenti multitudini, varias in medium proferens exhortationes, sese immiscet. Quid sit? Populus

pulus, gravissima & suavissima Ambrosij concione delectatus, seu Deo ita (quod verius videtur) rem Ecclesia disponenter omni dissensione seposita, conjunctis animis, & uno ore, clamat: Ambrosium eum esse, quem Episcopum sibi praefici omnes communibus suffragijs expeterent, neq; se alio pacto in doctrina & fide consentire velle. Ille manibus pedibusq; reluctatur, tenuitatem suam pratendit, plebem, quod rem impossibilem & absurdam tentet, objurgat: Quid absurdius, inquit, cogitari a vobis potest, quam me, profana functionis hominem, atq; in foro versatum haectenus, pastoralis velle praeficere muneri? sacrarum rerum prorsus imperitum, Episcopum constituere? & quod magis admiratione dignum, sacris Ecclesia nondum initiatum? Erat enim ad huc Catechumenus, Christianae religionis nondum initiatus mysterijs. Sed nihil omnino sua, de industria excogitata, tergiversatione proficiebat. Nolens volens ex praefecto fit Episcopus, baptizatusq; ab Imperatore Valentiniano, & Episcoporum Synodo, confirmatur. In qualem verò & quantum virum postmodum evaserit, scripta ipsius hodie loquuntur.

Tempori facerem injuriam, si de Augustino, praecipuo inter veteres Ecclesiae Doctores lumine, prolixius commemorare vellem, quam mirabili rerum conversione è philosopho factus fuerit Manichaeus, è Manichaeo Catechumenus Catholicus, è Catechumeno Presbyter, è Presbytero Episcopus Hippo-nensis in Africa. Qui plenius ea de re certior fieri cupit, libros ipsius confessionum percurrat. Possidonius in vita ejus scribit, quòd invitus, se Coepiscopum Valerij ordinari, passus fuerit. Sed voluit illum Dominus praecleara atq; eximia sua dona magis magisq; exerere, ut ad Episcopatum gradum sibi acquireret, & veluti murum inexpugnabilem, omnibus haereticis sese

B 3

opponeret.

Augustini.

Possid. in  
vit. Aug. c. 4.  
5. 6. 7. 8.

opponeret. Plura ex historia Ecclesiastica non addam. Ad nostra veniam tempora.

Lutheri.

Quis est, qui singularem & admirabilem Dei providentiam, in vocatione Beati nostri Lutheri, non agnoscat? Præter omnem expectationem à Staupicio commendatus, Wittebergam, ad professionem Theologicam, vocatus fuit. Postea titulum & gradum Doctoris invitus suscepit. Invitus ad certamen cum Pontificijs descendit, &, omnino quasi aliud agens, veritatem ab omnibus corruptelis atq; erroribus regni Antichristiani vindicavit, vindicatamq; pristinae luci atq; integritati restituit.

Melanchthonis.

Melanchthon ex Academia Tubingensi Wittebergam, ad docendas Græcas literas accitus, progressu temporis ad pertractanda gravissima religionis negocia adhibitus, veram & sinceram Theologiam à scholasticorum nugis repurgatam, & Scholis & Ecclesijs reddidit.

Rhegiij.

Urbanus Rhegius, gravis & insignis post Lutherum Theologus, primò Augustæ Vindelicorum Evangelium magnæ cum laude docuit. Inde verò per Pontificios pulsus, à Duce Ernesto Luneburgico (in cujus notitiam Augustæ pervenerat) Zellam, ad inspectionem generalem Ecclesiarum Luneburgicarum vocatus, Ecclesiam scriptis eruditissimis & nervosissimis, non parum erudit.

Chemnitij.

Martinus Chemnitius, ocellus ille Theologorum nostri seculi, thesauro eruditionis Theologicæ in Bibliotheca Borusfiaca collecto, Wittebergam rediit, ibiq; locorum communium Theologorum enarrationem, auctore Philippo Melanchthone, suscepit. Postea Brunsvigam, ad officium Coadjutoris, gravi illo Theologo, D. Mörlino, Pastorem & Superin-



perintendentem agente, vocatus, e idem tandem, magno cum totius Ecclesie applausu, successit, ibidemq; cum adversus Pontificios, tum adversus Sacramentarios, scripta omnium, quotquot unquam lucem aspexere, eruditissima & accuratissima elaboravit.

Quas & quot vocationes Jacobus Andrea, Tubingensis quondam Academiae Cancellarius, vir omni memoria dignissimus, ad reformationem Ecclesiarum, & Christianae Concordiae constitutionem, tum in his, tum in alijs regionibus, habuerit, notius est, quam ut multis commemorari debeat.

Neq; praetereundus mihi esset, magnus ille seculi nostri Theologus, socer meus, pia memoria, aeternum colendus, Aegidius Hunnius, nisi quis ex affectu me loqui suspicaretur. Vocatus enim ille fuit admirabili Dei consilio Tubingam Marpurgum, Marpurgo Wittebergam, cum ea de re ne ulla quidem cogitatio animum ipsius subisset. Cum primis vero memorabile est, quod praeter reliquis Theologis junioribus, ab Illustrissimo ac pientissimo Principe ac Domino, Domino Ludovico, Duce Wirtembergico, pia recordationis, Marpurgum, professionis Theologicae & functionis Ecclesiasticae obeunda causa, Illustrissimis Hassiae principibus missus fuit. Cum enim illi Herbrandum, praecclarum istum Theologum, sibi concedi peterent, isq; tum per aetatem, tum per alias honestas causas sese excusaret, solus Hunnius visus fuit ijs donis instructus esse, quibus Ecclesiae Dei, alijs in regionibus, non parum prodesse posset.

Quam ob causam praefatus Herbrandus ad Academiam Marpurgensem scribere non fuit veritus: Sicut Reuchlinus olim suo loco, serenissimo Principi Friderico Sapientis, Electori Saxoniae, Philippum Melancthonem commendaverit, & quidem

Jacobi Andreae.

Hunnij.

Herbrand. in praef. disput. de necess. & contingent. ad Academia Marp.

Sap. 14. v. 3.

II.

Applicatio  
ad vocatio-  
nem D. Gar-  
thij.

Singularis  
providentia  
DEI circa  
vocationem  
Pragensem.

quidem hoc elogio: futurum, ut non modò alterum Reuchli-  
num, sed & longè superiorem haberet, qui & diutiùs schola  
usui esse posset: Ita Hunnium suo loco in Schola & Ecclesia  
preclaram aliquando operam navaturum esse. Nec fefellit  
ista predictio. Sed pluribus de eo dicere sanguinis conjunctio-  
ne prohibeor. Unum saltem addam. Cùm Wittebergæ cathe-  
dram professionis Theologica conscenderet, oratione publica,  
exordij loco, divinam celebravit providentiam, quâ præter  
omnem suam & aliorum expectationem, Marpurgo Witte-  
bergam vocatus fuisset, allegans dictum autoris libri Sapien-  
tia, 14. cap. Tua pater providentia cuncta gubernat.

Idem si ego hoc tempore ad meas vocationes accommoda-  
vero, nè tantillum quidem aberravero. Quotiescunq; enim  
mecum considero, qua ratione, & quibus medijs, in hæc pri-  
mùm regiones, me de ijs antebac nè quidem cogitante, per-  
venerim, & Ossatium primùm, dein hinc Fribergam, & tan-  
dem etiam Pragam vocatus fuerim, toties admirari, & pu-  
blicè etiam commendare cogor, singularem illam providenti-  
am Dei, qua præter omnem meam expectationem ad ministe-  
rium Ecclesiasticum vocatus sum. Non dicam jam pluribus  
de meo in hæc regiones adventu: Non dicam de Ossatiensi  
vocatione: Non de Fribergensi: ne auribus vestris nimium  
molestus sim. Quanquam admiratione dignum est, quod Os-  
satium & Fribergam, urbes antebac nè semel quidem visas,  
concedendum mihi fuit. De Pragensi vocatione, cujus causa  
propediem hinc mihi abeundum est, pauca referam.

Profectò si quis mihi superiori anno retulisset, fore, ut hoc  
anno Pragam vocarer, vocatusq; eò proficiscerer, ego illum  
vanissimas nugas, gerris Siculis leviores, proferre dixissem.  
Usq; adeò id mihi antebac in mentem non venit. Imò cum  
vocatio,

vocatio, ad ministerium & inspectionem Ecclesie Bohemo-Germanice Paleopragensis, primò omnium mihi offerretur, usq; adeò ab ea alienus fui, ut varijs auditis judicijs & consilijs, de honesta oratione cogitarem, qua commodè, & sine offensione aliorum, eandem recusarem. Sed quid fit? Non satis erat, Ecclesiam Pragensem binis literis operam meam seriò & ardentè, & quidem cum obtestatione conscientie mee, requisivisse. Mittit insuper literas ad Serenissimum Electorem nostrum supplices, quibus submissè petit, ut Serenissima Celsitudo ipsius factæ spei & promissionis (quòd in locum Reverendi & Clarissimi viri, Dn. D. Matthie Hoë, ad aulam revocati, alium quempiam Theologum clementissime sibi concedere vellet) recordetur, & nominatim mei non solum copiam faciat, sed & ad acceptandam legitimam & divinam illam vocationem calcar addat. Itaq; Serenissima Celsitudo ejus me Dresdam vocat, ibidemq; animum meum per Consiliarios explorat & tentat. Ego candidè quid sentiam, illis aperio. Rationes, ob quas vocatio illa recusanda, produco, explico, exaggero. Ad propinquorum & amicorum judicia & consilia provoco. Sed omnia frustra. Vicissim enim alias rationes, qua vocationem illam, satis honorificam, minimè recusandam esse, ostendebant, audire cogebar. Obtendebatur luculenta gloria Dei promovenda, syncerioris religionis propaganda, & de universa Ecclesia benè merendi, occasio, quam non posset Theologus absq; offensione Dei, & lesione conscientie, negligere. Commendabatur singulare Serenissimi Electoris nostri studium, quo Pragensi Ecclesie gratificari, atq; ita promissis suis stare cuperet. Et ut paucis omnia complectar, Deo & Electori gratum acceptumq; futurum esse, si meam operam Ecclesie Pragensi sponderem. Quid facerem?

C

facerem?

facerem? Vobis ipsis, Viri Reverendi & Doctissimi, amici, collega, & fratres in Christo honorandi & dilecti, judicandum relinquo, num bona conscientia, & sine offensione Principis, restitare ulterius, vocationemq; illam omnino detrectare potuerim? Deo igitur & Serenissimo Electori humilima animi subjectione, uti par erat, obtemperavi, meq; vocatione acceptata, Pragam ad docendum Evangelium Christi abiturum, pollicitus sum. Abij, locum vidi, conditionem exploravi. Sed o quot, & quanta sese obtulerunt difficultates & obstacula? Quare non semel Dresdam mihi excurrendum, & de re tota cum Serenissimo Electore, & Celsitudinis ejus precipuis Consiliarijs, prolixè agendum fuit. Et sanè jam aliquoties in acie novaculares constituta fuit, ut de successu vocationis, & insecuta tractationis, animum penitus abjicerem. Sed ecce, summus rerum omnium moderator, qui providentia sua cuncta gubernat, & mirabilis est in operibus suis, præter omnem nostram expectationem, Serenissimo Electore mediante, talem largitur eventum, & cum meum, tum Pragen-  
siam animos, eò flectit, ut, remotis, vel sopitis saltem difficultatibus, de vocatione inter nos omnino convenerit, nihilq; amplius restet, quam ut rectè Pragam me conferam. Quis vero admirabilem illam Dei providentiam hic metum non agnoscat, commendet, celebret? Quis est, qui non videat, Deum me quasi nolentem volentem, Freibergâ Pragam trahere? Equidem nunc verum esse intelligo, quod Salvator noster dicit: Deum extrudere, & quasi expellere operarios in messem Evangelij. Nunc deprehendo, idem mihi, quod Jeremie olim, dici: Ibis, quò te misero. Nunc re ipsa experior, Pastores & Ministros Ecclesiarum esse instar pile, quæ ludendo huc & illuc projicitur, quemadmodum Ethnici de suis sacerdotibus

dotibus

dotibus dixisse feruntur; vel ut D. Bernhardus scitè loquitur, Serm. 1. de Andr. Apostol. Fluvius est prædicatorum ordo, non eodem permanens loco, sed extendens se, & currens, ut diversas irriget terras.

Laudate igitur mecum, Venerandi fratres, Dominum in sanctuario ejus, & dicite: Mirabilis est Dominus in omnibus operibus suis. Ecce nunc benedicite Domino omnes servi ejus, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Laudate nomen Domini, & dicite: Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc usq; in seculum, à solis ortu usq; ad occasum laudabile nomen Domini.

Restat, ut vobis, viri Reverendi & Ornatissimi, Collegæ, Amici, & Fratres in Christo, cum observantia colendi, paucis valedicam. Utinam verò Deo aliter visum esset! Utinam diutius vobiscum permanere, vestraq; conversatione amica & fraterna ad plures annos uti frui licuisset! Sed cum Deo vocanti nemo vel possit, vel debeat resistere, in clementissima ipsius voluntate, & mihi, & vobis, acquiescendum est.

Nostis autem, quando & quomodo ad inspectionem Ecclesiarum in celebri hac Diœcesi pervenerim: Nostis, quos sudores, quos labores, quas molestias exantlaverim. Nostis, qua benevolentia, qua humanitate, quibus studijs atq; officijs vos omnes profecutus fuerim. Et ne (quod stultorum sapientes esse arbitrati sunt) meipsum plus, quàm par est, commendem, vestram conscientiam appello, quæ de meo inter vos ingressu & egressu satis superq; edocta est. Fateor, me justa quandoq; severitate (sed erga paucissimos) ad corrigendas illas ministerij pestes, Φιλαυτίαν καὶ ἀνθάρδειαν, usum esse. Qui si fidelissimis consilijs & monitis, pro ut equum ac ju-

Gratiarum  
actio.

I.  
DEO.

2.  
Pastoribus  
Ephoriæ  
Freiber.

1. Timoth. 6.  
v. 17.

3.  
Petitio pre-  
cum.

stum est, sponte sua obtemperent, non erit, qui de severiori correctione & remedio cogitet.

Primò autem omnium immortales gratias ago Deo, & Patri Domini nostri JESU CHRISTI, quòd in laboriosissimâ hac mea functione, Spiritu suo sancto, misero mihi peccatori adesse dignatus est. Ipse fuit meus dux & consiliarius: Ipse meus protector & defensor. Ipse mihi sapientiam, Ipse docendi facultatem, Ipse & animi & corporis robur largitus est. Ipse valetudinem meam, non semel cum morbis conflantem, hucusq; integram conservavit, & me cum familia beneficijs numero plurimis cumulavit: Ipsi sit laus & honor in secula seculorum, Amen.

Deinde etiam vobis, Viri Reverendi & Ornatissimi, amici, collega, & fratres in Christo honorandi & dilecti, Vobis inquam, debitas ago habeoq; gratias, quod ante quadriennium me, vestrum indignum Ephorum, singulari cum benevolentia suscepistis, annis inferiorem coluistis, in rebus Ecclesiasticis consuluistis, varijs deniq; humanitatis & officijs & beneficijs prosecuti estis. Utinam re ipsa aliquando animum meum, ad gratitudinem promptissimum, omnibus & singulis declarare queam! Benignissimus ille Deus, qui prestat nobis omnia abundè ad fruendum, largissimè remuneretur, quicquid officij & beneficij in me collatum fuit. Me quod attinet, utrumq; nullâ unquam oblivio in animo meo oblitterabit. Quin imò sanctè polliceor, me vestrum & vestrorum perpetuò futurum memorem, deq; omnibus & singulis, occasione data, nunquam non bene mereri velle.

Tertiò, obnixè peto, ut & tenuitati & infirmitati mee, si qua à vobis animadversa fuit, fraternè condonetis, Deumq; porrò pro mea & meorum salute assiduis precibus interpelle-  
tis.

*tis. Vos ipsi enim, me tacente, intelligitis, quàm ardua, quàm periculosa, quàm laboriosa functio mihi demandetur. Ostium profectò magnum Praga mihi apertum est, & adversarij multi, ut de Ephesiis suis scribit Apostolus, 1. Corinth. 16. Et quis conjecturà jam assequi poterit, quæ sors ibi mea futura sit? Mihi sanè jam diu animo obversatur Verbum illud Domini, quo Apostolis & Discipulis suis varias persecutiones prædixit: Ecce, ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, Matth. 10. Vicissim verò magno mihi est solatio, quod Jeremia dicitur: Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, inquit Dominus. Item: Bellabunt adversum te, sed non prevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. Et D. Paulo, Corintho discessuro: Noli timere, sed loquere, & non taceas: quia ego tecum sum, & nullus nocere poterit tibi: est enim mihi populus multus in hac Civitate. Confido igitur Deo, & vestris vestrorumq; liberorum precibus, me per ipsius gratiam in medijs etiam hostibus & periculis salvum & incolumem cursum Evangelij promoturum. Ego uti hæctenus vos, cum Ecclesia, & familia vestra, Deo fideliter commendavi: ita porrò in meis precibus vestrum quotidie memor ero.*

*Ad extremum, si quid monita amicorum & fratrum hinc abiturientium valent, Vestras Reverendas dignitates amicè & fraternè rogo & hortor, ut officium vestrum sedulò faciatis, vobis ipsis & Ecclesiis, cura vestre pastorali commissis, probè attendatis, verbum Dei purè doceatis, vitam honestam & inculpata[m] agatis, sinceram Concordiam alatis, rixas non necessarias summo studio devitetis, & ab omni Philautia, πολυπραγμοσυνῆ, καὶ ἀνταδεία alienissimi sitis. Nemo sapiat ultrà, quàm par est: Nemo sibi solus placeat: Nemo*

C 3

suo tan-

11.

1. Cor. 16. v. 9.

Matth. 10. v. 10.

Jerem. 1. v. 8. 19.

Act. 18. v. 9. 10.

4.  
Exhortatio.

Rom. 12. v. 3.

Phil. 2. v. 1. 2. 3.

suo tantum ingenio fidat: Nemo se super alium efferat. Denique, si qua est exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera misericordiae, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habeatis, unanimis id ipsum sapientes, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam facientes, sed in humilitate singulas sibi invicem superiores arbitrantur, quemadmodum praecipit Apostolus ad Philippenses 2. cap. Vidistis in me, quanto studio per Dei gratiam pacem & concordiam, comitatem & humilitatem sectatus fuerim. Idem & vos in posterum facite: Et si Deus de alio Episcopo vobis prospexerit (quod pijs precibus ab eo impetrare necesse est) eum, ut patrem, colite, sive is sit Paulus aetate gravis, sive juvenis Timotheus. Quod reliquum est, Deo & verbo gratiae ipsius vos omnes & singulos commendo. Is vobis ex alto benedicat, Spiritus sancti donis locupletet, caelestiumque sua gratia indies confirmandis in perpetuum adsit, quod Ecclesiis vestris magna cum laude & utilitate diutissime praesse, gradumque bonum vobis acquirere possitis. Praestet etiam vos omnes, cum charissimis uxoribus & liberis, tutos atque immunes ab omni periculo pestis, incendiij & annonae, faxitque, ut quae corpus, quae animam, eternum bene habeatis. Denique, mibi meisque semper favete.

DIXI.

SOLI DEO GLORIA.

RE-



RESPONSIO

12.

*Ad hanc Orationem valedictoriam, nomine totius  
Fraternitatis FREIBERGENSIS data: In Synodo  
die 3. Augusti. Anno 1613.*

PER

*M. GEORGIUM AGRICOLAM, FREIBERGÆ  
docentium Collegam ad D. Nicol. P. L.*

**R**everende, Clarissime & Doctissime Vir,  
Domine HELVICE GARTHI, Sacrosanctæ  
Theologiæ Doctor eximie, SUPERATTEN-  
DENS dignissime, Domine omni observantia &  
reverentia studio à Nobis omnibus & singulis colende & ho-  
norande: Vulgariter ut tritum, ita verum est proverbium,  
quo dicitur, Plures Solem Orientem, quàm Occidentem ado-  
rare. Contrarium tamen Nobis in personâ Reverendæ T.  
Dignitatis jam evenire conquerimur, adorando quasi Solem,  
non Orientem, sed Occidentem, id est Ultimum officium Re-  
verendæ T. Dignitati jam paulo ante ipsius discessum præ-  
stando, cum eidem apud Nos mansura, si licuisset, aliud quid  
gratius, & nobis omnibus jucundius, exhibere maluerimus.  
Cur enim hanc Reverendæ T. Dignitatis mutationem non  
Orienti & Occidenti Soli comparem? Ortus nuper antepau-  
cos annos factus est, & vix primo lumine Urbi huic illu-  
xit: Ecce nunc Occasus ingruit, quo prioris illuminationis  
splendor quasi obfuscatur & obtenebratur. Ideoq; in locum  
Salutationis, ante paucos Annos cum gaudio à Nobis erga  
Solem apud Nos orientem habitæ, substituimus jam gemebun-  
dam Valedictionem erga Solem apud Nos modò occidentem.  
Appli-

Exordium à  
veteri pro-  
verbio.  
Inversio e-  
jusdem.

*Applicatio est facilis & cuilibet obvia. Quà de re mihi dicen-  
di partes sument, non vitio vertat, queso, Reverend. T.  
Dignita. Uti nec celeberrimus hic conventus Fraternalitatis  
nostræ Theologicæ, quòd ego balbutiens, quasi anser inter  
olores, strepere, & ad-Cygnæam Orationem Reverend. T.  
Dignitatis, inculto sermonis filo, & quidem ex tempore quasi  
consuto, respondere audeam, Siquidem ipsius rei dignitas &  
temporis ratio majorem splendorem & apparatus postulâ-  
set.*

Respõsio ad  
partem ora-  
tionis:

Primam, de  
admirabili  
vocatione  
Doctorũ &  
ministorũ  
Ecclesiæ.

*Ut autem temporis redimendi causâ breviter aliquid  
ad præcipua à Reverend. T. Dignitate prolata respondeam:  
Quod PRIMO Capite Orationis elegantem tractatum de  
admirabili vocatione Doctorum Ecclesiæ in primitiva & ho-  
dierna Ecclesiæ, Reverend. T. Dign. præmisit, id præsentis ne-  
gotio accommodatum, nostræ omnium institutioni inservire  
& prodesse asserimus. Illa enim Exempla Vocationum mi-  
randarum & Electionum planè divinarum illius temporis,  
jam à Reverend. T. Dignitate adducta, cum insertis insigni-  
bus historijs, etiam hodierni temporis Ministris Verbi, ut me-  
morabilia & notatu digna, ita maximè consolabilia sese offe-  
runt, ne humana, sed divina autoritate, sese hoc officio fungi  
credant, ideòq; etiam majore cum fructu & emolumento Ec-  
clesiæ Jesu Christi operam suam præstare posse confidant.*

Ad secundã,  
de vocatiõe  
Pragenfi.

*Quod ad Secundum locum, quo Reverenda T. Dignitas  
propius ad propositum accessit, & vocationis suæ in specie  
meminit, attinet: sicut Elias & Eliseus propheta, 2. Reg. 2.  
in separatione sui ab invicem desideratissimum inter se collo-  
quium habuerunt, & Eliseus quidem in transitu sui præcepto-  
ris Eliæ, quo vivus in cælum rapiebatur, ex intimis cordis  
visceribus contristatus, eumq; hoc propemptico prosecutus  
est:*

*est: Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus: Ita etiam Nos, quotquot hactenus perbreve admodum tempus Inspectioni Reverende T. Dignitatis subjecti fuimus, audientes jam eruditissimam ipsius, & affectibus paternis plenissimam Orationem Valedictoriam, non possumus nobis temperare, quin recitatione illâ intimè moveamur, contristemur & doleamus. Neq; dubito, quemlibet apud se cogitare; Gratuler, an doleam? Gratulandum quidem Reverende T. Dign. meritò esse, censemus, ob insignem illam & illustrem mutationem, cujus statum sufficientem cum omnibus suis circumstantijs Reverenda T. Dignitas prolixè nobis jam commemoravit & exposuit. Ex ea enim commemoratione gemini respectus vocationem intelleximus. Unum ipsius DEI, quo Dominus ille messis, colligens sibi ab initio Mundi ex genere humano Ecclesiam, quiq; penitissimè perspectum habet, cui loco edificandæ Ecclesiæ suæ quilibet sit præficiendus, pro beneplacito & providentiâ suâ singulari ita disposuit, ut Reverenda T. Dignit. succrescenti doctrinæ Evangelicæ apud Pragenses, operâ suâ impendendâ fructuosissimè succurreret. Quo quid amplificandæ gloriæ divinæ conducibilibus? quid consulendæ salutis hominum ibi degentium commodius? Interim tamen, uti*

*Omnis commoditas suâ fert incommodâ secum, Et omnis mutatio (ut ajunt) periculosa est, Ecclesiæ hujus Dioceseos non leve incommodum inde accedit. Quam ob causam etiâ non immeritò gemimus & suspiria ducimus, ita ut omnes boni mallent, Mutationem istam nō fieri. Sed aliter disponente divinâ providentiâ, ex alterâ parte & respectu reclamât etiam Voluntas Serenissimæ Electoris, Domini nostri Clementissimæ, & ejusdem Celsitudinis plus quàm paterna cura, qua*

D

Reve-

*Reverenda T. Dignit. Pragam concedere, & ibi etiam cælos plantare, immutabiliter voluit & benignè jussit, cui refragari consultum fuisset minimè.*

Hinc fit, quòd Fatum hoc fuit irrevocabile: PRINCEPS  
Dum voluit, voluit dum prius ipse DEUS.

*Verùm digredior ad Tertium membrum, quo Reverenda T. Dign. Valedictionem ad Reverendum hunc Conventum Fraternitatis nostræ Theologicæ instituit. Eam, refertam paternis affectibus, prolixâ humanitate, & amore sincero ergâ nostrum Collegium, ego non dubitem comparare Concioni valedictoria Divi Apostoli Pauli Act. cap. 20. quando Mileto discessurus Hierosolymam, Seniores & Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ convocavit, ibiq; ultimam quasi Synodum cum illis instituit. Sic enim ejus verba habent: Faciem meam ultrâ non videbitis. Similiter etiam Reverenda T. Dignit. ultimum hunc Conventum in hac Diœcesi hodie habendum indixit, qui est Synodus Ministerij nostri ab initio Duodecima. Undecimam Reverenda Tua Dignit. habuit ante Triennium vigesima quinta die Septembris.*

*Primas sex, gubernans rem Ecclesiasticam, M. SAMUEL FAUCHIUS, Vir gravis & autoritate præstans, celebravit ab Anno Sexagesimo Nono, usq; ad Annum Septuagesimum Sextum. Quorum septem Annorum spatium Ærarium quidem pastorale, consentiente tota Fraternitate, constitutum fuit, sed paulò post ob causas non ignotas brevi intercidit.*

*Duæ subsequentes Synodi, Utpote Septima & Octava in ordine, celebratæ sunt sub Domino DAVIDE KRAUTVOGELIO: Altera Anno Octogesimo octavo, 22. d. Decembr. Altera sequente anno Octogesimo nono. In quibus non solum Contributio Symbolorum pro Viduis & Orphanis pasto-  
rum*

Ad 3. de Valedictione, quæ comparatur valedictioni Paulinæ, Act. 20. aliquot mēbris.

I. Respectu ultimæ Synodi.

Annotatio historica Synodorum Freibergæ celebratarum.

rum defunctorum denuò instaurata est, sed etiam Articuli Synodici, quos hodie habemus, autore Krautvogelio, conscripti, & à Reverendo Consistorio, Misenetum sito, approbati & confirmati sunt.

Sub Inspectione nuperà Dn. M. MICHAELIS NIEDERSTETERI, viri aeternà memorià digni, iterum duae sunt celebratae Synodi, nimirum in ordine Nona & Decima. Altera anno Millesimo sexcentesimo tertio, die 30. Augusti. Altera post elapsum triennium, Anno videlicet sexto, supra Millesimum sexcentesimum. Accedunt his ultimae duae, numero Undecima & Duodecima, à Reverend. T. Dign. indictae & habitae. Atq; haec est Prima collatio, quae Actus hic praesens cum negotio Divi Pauli convenit, nempe Synodorum causa.

Altera Convenientia est in exhortationibus. Ut enim Paulus gravissimam Admonitionem ad Ephesinae Ecclesiae Presbyteros instituit: Ita similem à Reverend. T. Dignit. omnes attentè jam non solum audivimus, sed etiam intimis animorum penetrabilibus imbibimus, eidem posthac divinà assistente gratià, locum pro virili daturi.

Tertiò, idem Apostolus de cura & sollicitudine sua pro Ecclesiis testatus est, cum dixit: Se Ephesios nihil celasse, sed omne Dei consilium illis annunciaisse. Eandem Fidelitatem Reverend. quoq; T. Dignit. Ecclesiis sibi commissis, & nobis omnibus praestitisse, pleno ore affirmamus, quando & publicè & privatim experti sumus nil, praeter amorem, nil, nisi candorem, nil, nisi benevolentiam animi erga nos summam: fidelissimam salutarium consiliorum communicationem: eutaxias in Templis institutionem: facilem accessum & alloquium cujuslibet: nullam negotiorum expediendorum dilationem: deniq; erga omnes humanitatem eximiam. Ad quae ac-

D 2

cessit

2. Respectu exhortationum.

3. Respectu testimonij de fidelitate in officio.

cessit etiam Scholæ nostræ diligens Inspectio: Legum scholasticarum confirmatio: Nova lectionum habendarum consignatio: Et erga Ministerium ea Reverend. Tue. Dignitat. sollicitudo, ut utilissimum illud exercitium privatarum disputationum Theologicarum, antea hoc loco nunquam habitum, instituerit: Lectionem Hebraicæ lingue, pro Ministris verbi informandis, sponte susceperit, singulis Mensibus conventus Collegarum, pro corrigendis Ecclesiæ nostræ defectibus, indixerit: Et nullam non operam navaverit, quæ gloria nominis divini amplificande, Et cætui nostro Christiano edificando Et salvando esset conducibilis. Quæ omnia grato animo agnoscimus, Et prædicamus non in os, ex adulatione, ut ille ait: Qui te laudavit in ore,

A tergo longas porrigit auriculas:

Sed serio: Et in absentia etiam cum gratâ recordatione idem facturi.

Valedictioni deniq; Divi Pauli erga Ephesios Et Miletianos, cui etiam preces ardentissimas adjunxit, non absimilis fuit hæc Oratio Reverend. T. Dignit. ut valedictoria, ita pijs votis Et precibus refertissima, quæ sine dubio cuilibet nostrum tam acres stimulos infixit, ut desiderium Reverend. T. Dignitatis tristissimum apud se reliquerit, cui medendo nihil aliud invenire possumus, quàm animorum moderationem, Et voluntatis nostræ cum divina conformationem.

Vivere igitur Et valere jubemus devotissimè Nos omnes Et singuli Reverend. Tuam Dignitatem, ex animo gratulantes illi ob hanc insignem Et illustrem vocationem, additis votis Et precibus intimis, quibus Reverend. T. Dign. usq; Et usq; prosequemur, ut hæc vocatio teneræ CHRISTI Ecclesiæ, quæ Praga suppullulat, sit fructuosa, cuilibet Auditorum salutaris

4. Respectu  
votorum &  
precum.

Votum fra-  
ternitatis.

lutaris

lutaris, & Reverend. T. Dign. etiam cum suis omnibus non incommoda.

Experietur ibi certissimè Reverend. T. Dign. amorem & benevolentiam summam multorum, & quidem magni nominis virorum, quorum patrocinio Excelsi dextera Reverend. T. Dignit. cum suis omnibus tutam præstabit.

Pericula autem & insidias Adversariorum illic forsitan gliscentes avertet etiam ille, cujus hoc est negotium & legitima Vocatio. Consolationes quoque contra easdem suppeditabit Divi Pauli exemplum, loco Actor. supra citato, ubi inquit: Et nunc ego ligatus Spiritu sancto proficiscor Hierosolymam, ignorans, quæ ibidem obventura sunt mihi, nisi quòd Spiritus sanctus per singulas civitates testificatur, quòd vincula & afflictiones me maneat. Verùm nihil hoc me movet, neque vita mea chara est mihi, ut perficiam cursum meum cum gaudio, & Ministerium meum, quod accepi à Domino JESU, ad testificandum Evangelium gratiæ DEI.

Quod restat, sicut D. Paulus discipulo suo Timotheo 2. Ep. cap. 2. precatur, ut Dominus illi in omnibus det intellectum: Ita precamur omnes & singuli, ut Dominus intellectum, quem dedit Reverend. T. Dignit. sua gratia augeat, conservet, & ad faciendum fructum copiosum in messe Christi, de quâ in hodiernâ concione audivimus, benignè provehat.

**A**ddimus ultima vota: Valeto, iterumque vale-  
Corpore perpetuo ac mente valeto bene. (to,  
I felix, quò te jubet ire Vocatio CELSI:  
Omnia divinus dirigat Acta favor.  
Ut modo FRIBERGÆ, sic PRAGÆ operere salutem,  
Errantum, & multa Tritica fruge metas.

D 3

Esto


15.  
Consolatio.

Precatio.

Ultima  
vota.

*Esto memor nostri, precibus dignando vicissim,  
Nos in perpetuos & redamando dies.  
Quæ si non eadem præstemus, habebimur inde  
Indigni, talem nos habuisse virum.*

*DIXIT.*



*SOTERIA*

*PRO*

**REVERENDI**

**ATQVE EXCELLEN-  
TISS. THEOLOGO,  
DN. DOCTORIS**

**HELVICI GARTHII,**

Superintendentis Freibergensis, ex jussu  
atq; consensu Serenissimi Domini Electoris Saxo-  
niæ, &c. Transitu ad Ephoriam Ecclesiæ Evangelicæ  
Germanicæ, quæ est in veteri Urbe  
Pragensi.

**R***erdius & pernox, CHRISTI dum GAR-  
THIUS hortos*

*et serit, & fidâ sedulitate colit,  
OSSITIUM patulis ubi cingit MISNIA campis,  
Atq; metalligero colle FRIBERGA tumet,  
Omnia*



*Omnia qui videt, ut supero quoq, vidit ab axe,  
Ipse OLITOR CHRISTUS, tale Olitoris opus,  
Euge bone, in paucis fidus, quia, Serve, fuisti,  
Plura Tue Fidei rura colenda dabo.*

*Surge, ait, & priscæ pete PRAGÆ, MOLDAVUS hortos  
Quos rigat, hos curæ nunc Ego trado tuæ.*

*GARTHIUS obsequitur, data vox hæc ultima amicis:*

*Cara FRIBERGA vale, Regia PRAGA fave.*

*Factum ita: cum plausu venientem PRAGA recepit,*

*Illius & dios audit ab ore sonos.*

*At tu præco DEI, Doctor celeberrime GARTHI,*

*Strenuus æterni jussa capesse DEI.*

*NON etenim DORMIT, QVITE CUSDODIT: habeq,*


*Symbolon hoc nostræ pignus amicitie.*

**Ioh. Seusius, Seren. Elect. Sax. Secr.**

Amico suo magno

Dresdâ mittit, ult. Aug.

Anno 1613.



Freibergæ, impensis Melchioris Hoffman, 1614.

51<sup>t</sup>  
D 1574, 60<sup>d</sup>  
Bischof erud.